



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Lvitprandi Ticinensis Diaconi Opvscvlvm, De Vitis
Romanorvm Pontificvm**

Liutprandus <Cremonensis>

Mogvntiae, 1602

LIX. S. Agapetvs.

urn:nbn:de:hbz:466:1-11115

IOANNES II.

A.D. XXXI.

IOANNES, natione Romanus, ex patre Proiecto, sedit annos 2. menses 4. dies 6. Fuit autem Athalarici Regis, & Iustiniani Augusti temporibus. Ordinavit autem Episcopos 21. presbyteros 15. Obiit autem 6. Calend. Iunii. Hic Valerio Episcopo epistolam misit, in qua ostendit, & ratione, & auctoritate multorum probavit, filium minorem quidem esse patre in assumpti hominis forma, æqualem verò Patri esse in deitatis naturæ substantia, & hoc fecit ideo, quia quidam erant apud eum, qui negabant filium Patri esse æqualem.

LIX.

S. AGAPETVS.

A.D. XXXV.

AGAPETVS, natione Romanus, ex patre Gordiano presbytero, sedit annos 11. dies 19. Hic ordinavit Episcop. 11. diac. 4. Hic libellum anathematis in Dioscorum, cui Bonifacius invidiæ stimulo ductus presbyteros, & etiam Episcopos subscribi compulerat, incendio dedit. Iustinianus autem Theodato regi fuerat indignatus, eo quod ipse reginam Amalafintam Theodoricus regis filiam sibi commendatam, occiderat. Unde rex prædictus timens indignationem Augusti prædictum Papam Constantinopolim ad Imperatorem direxit. Qui à Iustiniano Augusto honorificè susceptus post longam altercationem Anthimum eiusdem civitatis Episcopum in Christo duas naturas negantem, conuicit, & à communione Christianorum suspēdit, & isto in exilium deportato alium Episcopum, nomine Mennam, virum Catholicum in eius loco consecrauit. Post verò ægritudine captus ibidem idem Constantinopoli 10. Kalend. Maii est defunctus. Idem Papa, antequam veniret in Græciam Anthimo epistolam misit, in qua ipsum ab errore suo ad veritatem Catholicæ fidei redire hortando prudēter commonuit.

LX.

S. SILVERIVS.

A.D. XXXVI.

SILVERIVS, natione Campanus, ex patre Ormisda Romæ Episcopo, sedit annum 1. menses 5. dies 40. Hic ordinavit Episco. 18. presbyteros 14. Hic sine deliberatione decreti à Theodato tyranno constitutus est. Qui corruptus pecunia, talem clero indixit

L

timo-